

ANTONII  
GVAERINII  
EPISTOLA AD  
Franc. Balduinum aposto-  
tam Ecebolium:



De Christiani iurisconsulti  
officio.

HEBR. X.

*Horribile est incidere in manus  
Dei viuentis.*

---

1564.

Socrat. Histor. Eccles. lib. III.  
Cap. xiii.

Ecebolius Constantinopolitanus sophista, cum Imperatorum se ingenijs accommodaret, vehementer Christianum esse se simularat: sub Juliano vero truculentus gentilis apparuit: ac rursus post Julianum Christianus esse voluit. Etenim ante portam oratorijs se ipse primum in terram projiciens, clamauit: CALCATE ME SALE M IN S I P I D V M. Ad hunc modum leuis & mobilis Ecebolius & ante & post Julianum fuit.



08.6.6.3908





# ANTONII GVAE- RINII AD FRANC.

Balduinum apostatam Ece-  
bolium Epistola,

De officio pij & eruditii iurif-  
consulti.



SI vereor, ne, cùm irrisor &  
cōtemptor obiurgationum esse  
toleas, id mihi vñu veniat, quod  
sapienter Salomon scribit, Qui  
castigat irrisorem, contumelias accipit: &  
qui improbum coarguit, maculam sibi cō-  
trahit: nimirum propter calumnias quibus  
se posteà homo improbus vlciscitur: ta-  
men vnum hoc etiam pietatis tuæ pericu-  
lum facere statui, ea quidem lege atque  
omine, vt si te medicinam ferre non posse  
animaduertā, Hippocratis deinceps præ-  
ceptum sequar, qui desperatis adhiberi re-  
medium vetabat. Ea verò de quibus hoc  
tempore monere te statui, priuìum ad Re-  
ligionē, & fidei Christianæ pietatem per-

tinent:deinde ad summam istam quam in te esse putas eruditionem : vt etiam de optimis libris tuis (quibus omnes iam studiorum bibliothecas replere conatus es) nonnihil differatur. Ergo quod ad religionem attinet , hæc ferè sunt , Balduine, quæ plerique omnes amici ac familiares in te tui reprehendunt: primū, quod cùm annos ab hinc plus minus octodecim , patria propter religionis causam profugus Argentoratum profectus es , ibique te in Gallicam ecclesiam recipi postulasses , ac propterea verbosissimam fidei tuæ confessionem publicè in templo non infrequenti hominum conuentu magna & confidenti voce pronunciasses , vt ad sacræ Cœnæ & corporis Christi communionem recipieris : posteaque te Geneuā ad Caluinum contulisses:ibique aliquandiu communem cum illis religionem professus, constitisses: illico tamen,mutata sententia Luteciam te receperis, vbi non satis Christianæ religonis puritatem obseruasse : nonnunquam etiam templa idololatrica frequentasse diceris. Alterum,quòd cùm paucis pòst annis Geneuam Lutecia reuersus es , & à Caluino

Caluino vt te suas in ædes conuictūmque recipere, impetrasles: sex ibi septēmū  
menses apud eum ita vixeris, vt & Domi-  
nicam cœnā (vbi tēpus venerat) cum alijs  
participares, & in publica (vt vocant) con-  
gregatione cōfessūque pastorū & doctorū  
hominum, tanquam Saul inter Prophetas,  
verba de rebus sacris faceres: postea tamē  
mutata sententia Biturigas sis profectus:  
vbi in iuris professorum collegium coop-  
tatus, ad religionem papisticā rediſti: statis  
diebus, Missis & pompis solēnibus ac sup-  
plicationibus cum alijs doctoribus inter-  
fuisti: qua de causa pro defectore & apo-  
stata à plerisque habitus ac numeratus es.  
Tertium est, quòd cùm aliquot pòst annis  
tertiū te ad Ecclesiam Christi & Acade-  
miam Heidelbelensem cōtulisses, ibique  
nonnullæ de cœna Dominica inter doctos  
viros dissensiones natæ fuissent: tu eam sen-  
tentiam quæ Gallicarum Ecclesiarum esse  
dicitur, quamque antea semper post agni-  
tam Euangeliū veritatem probaras, ample-  
xus eras, defenderas, partim odio ynius  
aut alterius, partim etiam, vt magnis qui-  
busdam viris assentareris, vehementissimè

acerrimēque contra fidem & cōscientiam tuam oppugnasti. Quartum, quòd nuper in Galliam profectus continuò te in illius clientelā dedidisti , imò totum te illi tradidisti, atque adeò mancipasti, quem constat religionis Euangelicæ hostem antehac infensissimum fuisse: cuiusque os, atque aspectum ne nunc quidem quisquam pius propter recentem superiorum annorum memoriam terre potest : tametsi quòd facilius illam Apostasiam tuam tegeres , poste à te in alterius Euangelici Principis clientelam insinuare conatus es. Quintū, quòd dum in illa aula Gallica versareris, apud illustrissimum Germaniæ Principem electorem Palatinum herum tuum accusatus multorum & literis & sermonibus fueris , quòd Euangelicos Germaniæ principes dixeris mutatæ religionis pœnitere : in Germania nullam superesse religionē: qua de re multorum te Germanorum querelas , nonnullius etiam Thrasymachi minas , corām in ipsa Gallia, audisse, negare non potes.

Quæ quidem omnia summatim ad religionis desertionem pertinentia , eiusmodi, ut opinor, Balduine, esse vides , ut facile intel

intelligas, me non sine grauissimis & maximis causis instituisse hanc tibi siue admonitionem, siue mauis obiurgationē Christianam mittere. Quod enim summum & extremum in homine crimen est, his paucis capitibus in te reprehenditur: nimirum Apostasia, siue defectio ab agnita & susceppta religione: neque ea simplex, sed & triplicata & quadruplicata: ut iam vetus illud de te Duareni tui vaticinium reipsa cōprobare videaris, qui te Ecebolij cuiusdam discipulum (de quo apud Eusebium memoratur) quodam (ut scis) in libello suo appellat: quod is ethnicus cum esset, metu tamen Constantij imperatoris simulasset se Christianum esse: deinde Iuliani tempore ad Paganismū rediisset. Rursus Imp. Iouiniano qui se Christianū profitebatur, reuersus ad Ecclesiam, atque ante fores templi prostratus magna voce clamasset, Conculcate me salem insulsum. Hæc, Balduine, si ex Christiani iurisconsulti (quale te olim haberí voluisti) officijs ratiocinari volumus, sane magna & grauia sunt. Mihi quidem ita grauia videntur, ut quoties de ijs cogito, toto plane & corpore & anime

cohorrescam. Nam in Ecclesia publica palam, multis audientibus, religionem Christianā profiteri: postridie ad sacrosanctam corporis dominici cœnam accedere: denique toties & Genevæ & Argentorati, tot hominibus inspectantibus, cœnam dominicam cum alijs participare: nunc autem ad papatū & tanquam canis, ad vomitum reuerti, ecclesiæque illas tam infesto animo insectari: ecquid tandem aliud est, quām quod Apostolus ad Hebreos scribens appellat, Denuo Christum crucifigere, eiusq; mortem ludibrio habere? Itaque mirum non est, si te tanti nunc scelebris furiæ vlciscantur: præsertim cùm idem eodem loco scribat, fieri non posse, ut qui semel illuminati fuerint, ac donum cœlestis gustauerint, participesq; spiritus sancti fuerint, gustarintq; bonum Dei verbum: si relabantur, ad bonam frugem redeant: quippe qui denuò filium Dei, quantum in ipsis est, crucifigant, ludibrioq; habeant.

Venio iam ad doctrinā & eruditionem tuam, quæ te nobis adeò inflatum ac tumidum redidit: de qua patieris me liberè tecum & certa quadam ratione disputare.

In

In omni doctrina , Balduine , tria summi semper ac sapientes viri desiderarunt : Naturam, artem & exercitationem : cuius rei testimonia, quia nota tibi esse cōfido , non proferam. Naturam, id est ingenium, perspicientiam, acumen, solertiam , in te desiderari , tibi ( si me audies ) paucis demonstrabo. Nam primum omnium cūm annos iam viginti ( quemadmodum tute nuper in tuo De historia mundi libro testatus es) in tuo ciuili iure interpretando verseris, nunquam tamen quicquā in illo eximium ac singulare excogitasse , vulgo ab omnibus dictataris : siue in materia aliqua nouo & singulari modo explicanda , qua in re lauream ac triumphum suum ponere vestrī ordinis homines consueuerunt: siue in tollendis legum vestrarum mendis , quæ ( vt innumeros affirmare audiui) planè innumerabilia sunt : cūm tamen ipse fatearis hoc tēpore præcipuā laudem iuris professorum hanc esse. Quòd si meum tibi testimonium suspectum est , ecce alium tibi iudicem fero : quem tu tum propter summam eius eruditioñē, tuin etiam quia eum multis in libris tuis eximijs ornas laudibus:

nunquam , vt spero , tanquā iniquum eiurabis . Is est Iacobus Cuiacius , quem tu paſſim ( vt dixi ) laudibus in cœlum , merito certè ſuo , ferre ſoles . Apud eum igitur ( pōſione te prouoco , N I C V I A C I V S Balduinū nihil in iure ciuili acutē vnquā excoGITASSE , nihil denique præſtantis ingenij laude dignum adhuc præſtitiffe , libros illius nihil niſi confufam Pandolabi farraginem eſſe iudicet . Huc accedit quod quæ ab alijs tradita tuos in libros etiam laudatis authoribus transfers , ita ſine iudicio & delectu transcribis : vt ſi duæ plurēſue ſint diſtentientes inter ſe doctorum hominum ſententiæ , ibi tu tanquam pedibus in luto demersis nutans , titubans , æſtuans , quam te in partem contorquere debeas , neſciias : & quaſi alio in mundo ( que madmodum in veteri prouerbio eſt ) verferis , ſic ambi- guus animi atque incertus , adſcribas , Qui- dam ita putant , alij ita legunt : Nonnulli autem ſic ſentiunt : cum ad extreſum neque ſententiam tuam ascribas , neque alio- rum pugnantiffimas inter ſe opiniones re- futes . Id quod vel in locis inſignibus abſteſſeri , testimonio erunt ea quæ iuris qui- dam

dam studiosus mihi in tuis Institutionum commentarijs ostendit: pag. 31. 233. 434. 642. 596. 448. & alijs locis innumeris. Ego verò nuper in illo tuo libro , quem de historia vniuersa inscripsisti, pagina 185. animaduerti tale quiddam, quod mihi sanè de ingenij tui tarditate, ne dicam stupore, dubitationem omnem abstulit. Quum enim in eo qui vniuersi generis humani historiā literis mādare instituit , nihil ferè tantope- re desideretur , quām certa quædam defini- nitio ac dinumeratio annotū mundi : qua de re variæ sunt doctissimorum hominum multiplicesque sententiæ : tu tamen ubi ad illum locum peruenisses , quasi pendicu- lans atque oscitans , Hieronymus , inquis, numerat usque ad Christum annos 3952. Eusebius verò plus quinquies mille du- cētos: doctissimi hac ætate homines, 3962. Scio à nonnullis plures adjici : sed parum interest, notumque est vetus illud, Et quod excurrit. Agnoscis ( vt opinor ) Balduine verba ista tua: siquidem hæc verba sunt, potius quām ridiculæ cæci alicuius de colribus disputantis coniecturæ. quod pro- fectò parum isti tuæ arrogantiæ & super- biæ

biæ conueniebat: qui quum historiā mundi te nobis traditurum profitearis, quo in loco iudiciū ac doctrinam tuam ostentare debuisti, ibi quasi neque cœlum neque terram attingas, quid alij senserint profers: quid tui iudicij sit, enuntiare non potes. Vnde quantum à natura ad magnarum artium disciplinam adiutus sis, cuius facilè intellectu est.

Iam verò quod ad artem attinet ( quæ quidem enumerationis nostræ pars fuit altera ) paucis tecum agam. Quum Dialecticam veram, eamque solam disputandi artem esse constet: Iurisprudentiæ autem maxima & potissima pars in disputando posita sit: ecquānam tu fronte, qui Dialecticam non modò pictam, sed ne in somnis quidē vñquam vidisti, vllam tibi iurisprudentiæ laudem arrogares? Iuris ciuilis studium in disputando potissimū versari, testis est Quintilianus libro x i i. capite ii. Te porrò Dialecticam ne primoribus quidem libris vñquam degustasse, imò verò semper ab eo studio quasi difficultatibus quibusdam obstructo abhorruisse, nō modò ex omnibus scriptis tuis appetet, in quibus

bus ne tenuissima quidem Dialecticorum verborum mentio est: verum etiam millies ex tuo ipsius ore auditum est: quum naturalem tantum Dialecticam necessariā esse prædicares.

Restat ut de exercitatione dicamus: quā si tibi propterea cōcedendam putas, quòd (ut antea diximus) annos iam viginti Ius ciuile professus sis, vide ne duo tibi hæc obsint, alterum quòd vbi ars nulla est, ibi nulla exercendi facultas est: Itaque vulgo eos qui Musicæ artis imperiti ad fidiū se ac neruorū studiū cōferunt, etiam si annos (ut tu) viginti eo se in studio noctes diésque fatigent, nunquā tamen vllā eius artis laudem eximiam adipiscuntur. Alterum est, quòd si forum (ut Iustinianus vester, rēisque ipsa testatur) vñsque & (ut vulgus loquitur) practica Iurisconsultos bonos facit, tu qui nullo vñquam in foro versatus es, non admodum magnam tibi ex Iurisprudentia laudem arrogare potes.

Verūm hæc fortasse infinitius disputantur: itaque paulò pressius agendum est: atque ad testimonia ipsa, & (ut vos dicere soletis) in rem præsentem veniendum. Di cendum

cendum , inquam , aliquid est de optimis  
libris tuis , quos iam magno sanè numero  
per hosce totos quindecim annos peperi-  
sti. Ac primùm de ipsis commētariis , quos  
tuo nomine in Institutiones Iuris ciuilis in-  
scripsisti. Mi optatissime Balduine , quid  
expalluisti ? leniter tecum & familiariter  
( quemadmodum Christianæ charitatis ra-  
tio postulat ) agere institui. tantūm dicam ,  
Tu quum adolescens Gabrielē Brectanū  
clarissimum Iuris Doctorem Louanii ali-  
quot annos audissem , eiúsque dictata vel  
tua vel aliorum diligentia descripta apud  
te habetes , è Belgia patria tua propter Euā  
gelii causam scilicet profugisti , magnum  
illud volumen interire flammis Christia-  
norū sinere noluisti : tecum illud tanquā  
Palladium ex Troiæ incendio , asportasti.  
Quum Lutetiam peruenisses cum Tileta-  
no typographo pactus es : coronatis ali-  
quot acceptis , Præceptoris tui vigilias illas  
& lucubrations malus auctor emptori bo-  
na fide accipienti vendidisti : eásque hoc  
titulo atque inscriptione promulgandas  
imprimendásque curasti : F R A N C I S C I

BAL

BALDVINI IVRIS CONSULTI IN.  
 INSTITUTIONES IVRIS CIVI-  
 LIS COMMENTARIA. Hæc sunt  
 in adolescentia tua iacta abs te probitatis  
 ingenuitatisque fundamenta, hoc pūdo-  
 ris specimen: quod an sèpenumero tibi  
 tum Biturigibus, tum aliis in locis obie-  
 ctum, exprobratum, criminis loco datū  
 sit, satis ( ut opinor ) adhuc meminist̄. Sed  
 quoniam aliquam eius facti tui excusatio-  
 nem etiam in scriptis tuis afferre soles: dicis  
 enim te prima commentariorum illorum  
 tanquam lineamenta ex Breſtani præce-  
 ptoris tui dictatis duxisse: multa verò post-  
 ea de tuo addidisse: videamus quinam illi  
 colores fuerint, quibus te informatam à  
 præceptore tuo picturam illustrasse prædi-  
 cas. Sic enim tum quod in te ingenii acu-  
 men sit, tum etiam quanta historiarum co-  
 gnitio, de qua tu tantopere te diligis, ac  
 magnificè circunspicis, planius ac certius  
 intelligemus. Pag. 109. Sub titulo, De ca-  
 pitis diminutione, hunc ad illa prima præ-  
 ceptoris lineamenta, quibus ille Capitis di-  
 minutionē interpretabatur, colore ex tuis

λυκηδος addidisti: Cicero in Verrinis vocat demptionem de capite , quam nos capit is diminutionem appellamus. Præclarè sanè & luculéter, Balduine , valdéque ad instituti tui rationem accòmmodate. Cicero in illis orationibus Verrinis accusabat Verrem , quòd ex duabus frumenti Siculi summis ( quarum potiorem partem Siculi Græcè κεφαλαιον, Cicero Latinè caput appellabat: alteram vero accessionem: ) partem aliquam de illa potiore summa , id est de capite detraxisset. Eam rem idem oratoriè exaggerans , crebrò de capite demptionem inculcat. Typographus cùm indicem conficeret , in litera C. locum illum notauit. Tu qui ex indicibus librorum summam istam doctrinam tuam hausisti, quum vocem illam animaduertisses , statim hanc obseruationem tuam, quasi colorē ad illa rudia & inchoata præceptoris tui lineamēta, adhibuisti. qua ex te nobis de summo ingenij tui acumine existimandi copiam fecisti. Ex eodem pigmentorum genere illud est pagina .139. Est autem ius trium liberorum admodum vetus, nempe à tempore illorum tergeminorum Horatorium , in quorum gratiam fuit statutum , ut quibus trini

trini essent liberi , quum ex publico ij alerentur,  
vsque ad pubertatis annos tribueretur patria potes-  
tas sine onere & sumptu educationis , ut ait Dio-  
nys. *Halicarn.lib. 3.* εσιψ καὶ νομός , &c. Hæc ,  
mi Balduine , tua verba , vt opinor , agno-  
scis . nunc mihi velim respondeas , vtr amne  
maiorem in te esse debeamus dicere , vel  
vel ingenii præstantiam vel historiæ cogni-  
tionem ? Ius quod trium liberorum appellatur , neque uno eos partu editos esse po-  
stulat , neque natis ipsis , sed eorum paren-  
tibus emolumentum affert : veluti vt à ci-  
uilibus muneribus , à tutelis & curationi-  
bus excusentur . At ius tergeminorum &  
vno partu tetnos edi postulat , & ipsis ter-  
geminis honorem afferebat . Siquidem ho-  
noris causa de publico vsque ad puberta-  
tem alebantur . Quod tu si Græcè intelle-  
xisses , ex illis Dionysij , quæ subiecisti , ver-  
bis cognoscere potuisses . οἴς γένονται προϊδύ-  
μοι τῶιδες , ἐκ τὸῦ δημοσίου τὰς βοφὰς τῷ παί-  
διῳ χορηγεῖσθ μέχρις ἡβῆς . Quod si tantus hi-  
storicus , quantum te vano quodam opi-  
nionis errore nobis fингis , fuisses: non pau-  
lò commodius sic scriptisses : Est autem ius  
trium liberorum admodum vetus . Nam

Plutarchus scribit Numæ temporibus ius  
hoc fuisse, ut eiusmodi matres neque in  
tutela essent, & viuo patre facere testa-  
mentum possent. Sed quid ego ineptus  
hæc dispuo? quum enim ita hæc nuper  
scripsisse, & studioso cuidam ostendis-  
sem, demonstrauit ille mihi repente tuum  
quendam librum de lege ( ut opinor ) Pa-  
pia, cuius pagina 112. tute ipse tuo te gla-  
dio iugulas, tuamque ipse ineptiam coar-  
guis. Non est itaque ( inquis ) generaliter illud  
huic legi ascribendum: non magis quam ius terge-  
minorum, quod etiam audio imperite & inepte  
confundi cum iure trium liberorum. Tempore regis  
Tullij Hostillij propter tergeminos Horatios lata  
lex est, ut pater tergeminorum ex publico ad eos  
ad pubertatem usque alendos, alimenta acciperet.  
Dionysius Halicarnassæus qui tempore Augusti  
vixit, sua adhuc etate seruatam Romæ fuisse nar-  
rat. Qui putant idem tributum fuisse patri trium  
liberorum, viderint saltem, an ærarium Pop. Rom.  
potuerit tantos sumptus ferre. Certè Dionysius scri-  
bit, datū hoc fuisse quibus essent παιδες τρισύμοι,  
non autem τρεῖς simpliciter. Quibus ex verbis  
de mentis tuæ cæcitate licebit cuius exi-  
stimare: qui cum arrogantia & fastu tanto-  
pere

pere turgeas, aperte tamen te I N E P T V M  
 atque I M P E R I T V M appelles, tuamq;  
 stultitiam ipse non tantum coarguas, sed  
 etiā irrideas. Innumerabilia autē eiusmodi  
 Emblemata tua sunt, quibus illos præcep-  
 toris tui rudes & impolitos commentarios  
 exornasti. Sed ne infinitus sit labor, vnum  
 etiā proferre cōrentus ero. Is est sub tit. de  
 donat. pag. 237. vbi quū Iustinianus vester  
 dixisset, exemplum mortis causa donatio-  
 nis extare apud Homerum, vbi Telemachus  
 donat Piræo: cùm illud ascribere de-  
 beres, quod in manibus omniū est, quód-  
 que vel ex puerili Iustinopolitanī cuiusdā  
 ad verbum interpretatione condiscere po-  
 tueras, Telemachum ex illa peregrinatio-  
 ne reuersum, qua patrem Vlyssem inue-  
 stigarat, à Piræo qui comitatus illum fue-  
 rat, monitum fuisse ut ea munera quæ rex  
 Menelaus illi dederat, quæsitum mitteret:  
 Telemachum autem respondisse, si quid  
 sibi humanitus contingeret, se illi ea mu-  
 nera dono dare: cùm (inquam) illa notissi-  
 ma ascribere potuisses, tamē illud te ascri-  
 bere non puduit, Locus est Odys. 17. vbi reuer-  
 sus ex agris Telemachus, postquam reducē patrem

*suum agnouisset, excipitur à Piræo : à quo roga-  
tus, &c. Quibus in tuis paucis verbis mi-  
rantur omnes ista tria tanquam lumina &  
pigmenta: quibus tu ingeniosè sanè & an-  
tiquo artificio rudia illa præceptoris tui li-  
neamenta collustrasti. Primum est, Tele-  
machum ex agris reuersum: alterū, Agno-  
uisse parentem reducem : postremum, A  
Piræo exceptū: quorum si qua in vllis Ho-  
meri libris, vel minima suspicio est, volo  
me Homero ipso cæciorem esse prædices.*

Ex eodem genere illud est, quod mihi  
quidam in eo libello indicauit, quem tu,  
Edicta Principū de Christianis incrispsisti.  
Cicero in Oratione pro Sexto Roscio, ac-  
cusatores comparat canibus, qui Capito-  
lium asseruabant: & ait, Si canes interdiu  
latrent, quum aliquis veneratum deos ve-  
nerit, iis crura esse suffringenda. Deinde  
quum calumniatores eorum similes esse  
dixisset, sic infert: Crura quidem nemo  
vobis suffringet: sed si me isti audierint, &c.  
Tu verò, vt intelligamus te antiquitatum  
Romanarum æquè vt reliquarum historiarum  
peritum esse, pag. illius libelli 92. sic  
scribis: Cicero scribit fuisse hanc veterem calum-  
niatorum

niatorum pœnam, ut crura ijs confringerentur. Nimirum quemadmodum nostris temporibus Germanorum instituto grassatoribus ossa & membra franguntur: quod genus pœnæ vulgò, Rotæ supplicium appellant. Quia in re singularem tuam, Balduine, historiæ scientiam, tāquam in speculo nobis cognoscendam præbes. Nam si quod esset ἀμαρτημα μυημονικον, qualia nonnunquam apud optimos & præstantissimos quosque scriptores eruditæ viri deprehēdunt, dignus aliqua fortasse excusatione lapsus ipse tuus videri posset. Verùm istud tuum in historia Romana peccatum, tantum, tam ridiculum, ac tam absurdū est, vt qui illud animaduerterit, nunquam dubitarit summam in te historiarum omnium ignoratiā esse profiteri: cùm quidem Antiquitatum Romanarum prima hæc quasi elementa esse cōstet, Portia & Sempronia legibus, ciuiū Romanorum corpora vetusto cruciatuum genere exempta fuisse: Rotæ supplicium ne homicidis quidem & grassatoribus cōstitutum fuisse. Calumniatores autem vbi-nam gentium tanto ac tam acerbo suppli-cio cruciatos fuisse legimus? Tametsi cùm

istud te existimasse video , vehementer  
equidem mirari soleo , quòd non accura-  
tius tibi ab ista calumniandi consuetudine  
temperes , quam in tuis scriptis perpetuò  
retines. Verùm hæc quidem de iis floscu-  
lis , quibus optimos tuos libros exornare  
confueuisti hactenus. Ex ipsis enim per-  
paucis quæ à me tanquam exempli loco  
prolata sunt , summam tuam historiarum  
scientiam , tanquam ex vnguibus leonem  
cognoscere licebit.

Pauca nunc de reliquis tuis libris dicen-  
da sunt , ac primùm de eo quem aduersus  
Duarenū Iurisconsultū aliquot ab hinc  
annos scripsisti:in quo quum alia complu-  
ra,tum verò in primis illud reprehendi so-  
let:quòd quum Duareni aduersus te accu-  
sationi respondere instituisses , vesana qua-  
dam & prodigiosa,& ante hoc (vt opinor)  
tempus inaudita ambitione mentiri ausus  
est , Omnes totius Europæ Iurisconsultos  
Christianos ad causæ tuæ patrocinium ac  
defensionem accurrisse. Librū enim illum,  
quem te & scripsisse & tuis sumptibus im-  
primendū curasse constabat , hoc titulo in-  
scripsisti , R E S P O N S I O C H R I S T I A-

N O R V M

**N O R V M I V R I S C O N S V L T O R V M**  
**A D F R A N C I S C V M D V A R E N V M.**  
 In quo non tam falsi crimen & calumniam,  
 cui Rotæ suppliciū imponis : quām Thra-  
 sonicam quandam & prodigiosam atque  
 inexplicablem inanis gloriæ cupiditatem  
 omnes admirati sunt , quod te vulgo per-  
 suasurum putaris, Christianos Iurisconsul-  
 tos omnes ( nā in indefinita vniuersalis vim  
 obtinet ) Balduini cuiusdam patrocinium  
 ac defensionem suscepisse : vt qui librum  
 illum viderent , repente magna quadam  
 illius hominis admiratione commoti , que-  
 rent , Ecquis tandem Balduinus ille est ,  
 quem tot vndique Iurisconsultorum ca-  
 teruæ defendunt ? vt mihi certè libello isto  
 tuo nō secus facere voluisse videaris , quām  
 Psapho ille nescio quis in Lybia fecisse suis  
 auiculis narratur : qui cùm isto eodem quo  
 tu quærendi nominis morbo teneretur ,  
 diuinitatis etiam famam captaret , aliquot  
 aues vocales & sermonis humani dociles  
 cepit , quas hæc verba sonare docuit . M A -  
 G N V S D E V S P S A P H O : quibus tandem  
 dimissis , Lybes commoti Plaphoni rem  
 diuinam , tāquam deo alicui , facere cœpe-  
 runt

runt. Itaque huc illa verborum ornamen-  
ta pertinent, quæ tu, Ó tragica simia, in illo  
tuo libello Iurisconsultos illos Christianos  
de te proferre docuisti. *Obstupuimus Duare-  
ne, cùm sensimus in quem virum ( id est Baldui-  
num) ista dices :* pag. 123. Item pagina 144.  
*Nullum tali viro in hoc orbe putas patere asylum,  
quem certatim inuitant & clarissimæ ciuitates, &  
amplissimi Principes ? Quæ cùm ab homini-  
bus imperitis legerentur , metuere pro-  
fectò quidam incipiebāt , ne quod nouum  
in Germania bellum propter istud Princi-  
pum de Balduino obtinendo certamē ex-  
oriretur. Ex eodem genere illa sunt in Cō-  
stantini tui præfatione : *Quum nuper in con-  
uentu Principum Vormaciensi essemus. Nam qui  
tuæ consuetudinis imperiti hæc legunt,  
medium te Vormaciæ inter ipsos Princi-  
pes celsissima aliqua in sede in ipsis aulæis  
concedisse arbitrantur : cùm tamen non  
maiorem hac verborum iactatione vtendi  
occasione haberes, quam muliones , aut  
culinarij Principum seruuli, qui æquè vt tu,  
Vormaciensi Principum colloquio , in tri-  
uiis & quadriuiis circuncursantes , inter-  
fuerunt.**

Sed longiores hīscē in rebus sumus. Videō enim quid responsionis afferre cupias : superiores illas ineptias tuas præteriti temporis inscītāe cōdonandas esse: nunc autem longē aliam grauitatis , doctrinæ ac sapientiæ tuæ accessionem factam esse. Itaque de te non ex superioribus annis , sed ex præsentis temporis sapientia iudicandum nobis esse. Placet conditio , mi Balduine : sumamus librum illum tuum optimum quem nuper admodum nobis edidisti: quémque hoc splendido titulo exornasti : **D E I N S T I T U T I O N E H I S T O R I E V N I V E R S A E , E T E I V S C Y M I V R I S P R V D E N T I A C O N I V N T I O N E .** Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu ? an non quum istas inscriptionū ampullas proīcis , metuis ne quis nasutus illud eiusdem Poetæ insurget: Parturiunt mōtes : nascetur ridiculus mus: aut illud in eandē sententiā, ὁ θεος τοῦ φρεατοῦ. τὸ δὲ τεκέν μοῦ. Sed ad rem ipsam veniendum est. Primum omnium , mi Balduine , velim mihi familiariter & extra contentiōnem omnem respondeas : quo tādem ani- mi tui morbo factum sit, vt cūm Iuris ciuilis

Interpretandi prouinciam suscepferis, profitearis, sustineas, quod onus alij omnes erudit & prudentes viri Aetna grauius esse queruntur, tu tamen, tanquam quidam ~~παρτοδάκης θυμόκρητος~~, aut Trimcgistus aliquis Mercurius de cœlo delapsus, vniuersam te humani generis historiam, inde usque ab orbe condito ad nostra hæc tempora complecti posse profitearis? nihil iam de ingenij tui acumine, nihil de Latinæ orationis facultate, nihil de industria dico tua: tibi summum ingenium, summam eloquentiam, summam denique industriam largior: potesne, quæso, duo ista disiunctissima longissimèque diuersa cum historici vniuersi, cum Iurisconsulti munera sustinere? Deum immortalem, ecquodnam tuum ista in re iudicium est? Si Iurisconsultus vllase in historia exercere debet, in qua tandem potius id debet facere, quam in ea quæ ad suam Spartam (ut dicitur) exornandam, id est ad Iurisconsultorum dignitatem amplificādam attinet? Annos iam amplius quindecim historiam nobis polliceris: nullus est libellus tuus, in quo nō pollicitationē illam tuā millies inculces atque renoues. Tam multa

multa apud Ciceronē, Gellium, Fabiū, Senecam, Valeriū & alios veteres de Iurisconsultorum Romanorū institutis, consuetudine, rationibus sparsa sunt: quis hæc colligit? quis vnum in libellum coaceruauit? quis Latini sermonis elegantia cōcinnata, studiosis legenda proposuit? Túne, mi Balduine, qui flosculos illos ne odoratus quidem vñquam es? an potius is iurisconsultus, cuius nonnulla tam acerbè, tam contumeliosè, tam petulanter in libris tuis insectari audes: cùm tamen tam multa ex illius commentariis ad verbum tuis in libris transcripta pro tuis impudenter edas? An non eius Iurisconsulti qui suas nobis non iuris ciuilis, sed vniuersæ historiæ pandetas ebullire solet, potissimum munus fuit, docere; Quodnam olim Iurisconsultorum munus fuerit: Quibus illud honestum ac plenum dignitatis nomen usurpare liceret: Ecquānam ratione illa tanta dignitas quæreretur: Quæ Iurisconsultotum auctoritas Romæ fuerit, quo in loco, quo tempore, quóque modo & via suos discipulos docerent. Horum in tuis libris, ne tenuissima quidē suspicio est. Verūm hæc omitto. In  
histor

historia Iuris ciuiliſ nihil obſeruaſti , quod  
 tamen potiſſimum eius quam profiteris  
 artis munus fuit. At in aliis historiis omni-  
 bus , nihil eſt quod non ſcripto quodam  
 tuo propediem edendo comprehendenderis.  
 Quid? vllāne historiæ pars eſt quæ arti tuæ  
 propinquior ſit , quām ea quæ vulgò Anti-  
 quitatum Romanarum appellatur ? Id eſt,  
 de magistratibus populi Romani , de iudi-  
 ciis , comicis , legibus , auspiciis , ſacerdo-  
 tiis , quos locos vides noſtris temporibus à  
 Gruchio , Manutio , Sigonio , Hotomano ,  
 Onufrio , & aliis eruditis viris tractatos  
 eſſe : à te verò quando tandem vel minima  
 ex parte contactos ? contactos dico ? imò  
 verò per ſomnium tantummodo conſpe-  
 ctos ? Me certè , Balduine , tuæ iſtius arro-  
 gantiæ dicam an ſtultiæ piget , pudētque .  
 Quindecim iam anni ſunt , ex quo nobis  
 affiduè neſcio quam mirificam historiam  
 pollicitaris. Omnes qui hæc audiūt , tuám-  
 que ingenii prætantiam non norunt , ſpe  
 quadam & expectatione inſignis alicuius  
 ſcripti commouentur. Nuper cùm eius hi-  
 storiaræ proæmium ( quæ Prolegomena vo-  
 cas ) nobis dediſti ( quibus ſi reliqua pars  
 peræq

peræqua proportione respondeat, Augu-  
stini certè aut Bartoli scripta superaturus  
es) cùm, inquam, boni quidam virti ea pro-  
legomena tua legissent, memini nonnul-  
los fuisse, qui te citharœdi illius similem  
fuisse dicerent, de quo scribit author Rhe-  
toricorum ad Herennium, qui quum pro-  
diisset optimè vestitus, palla inaurata in-  
dutus, cum chlamyde purpurea coloribus  
variis intexta, & cum corona aurea magnis  
fulgentibus gemmis illuminata, citharam  
tenens exornatissimam auro & ebore di-  
stinctam, cùmque magnam populo com-  
mouisset iis rebus expectationem, repente  
silentio facto, vocē emiserat acerbissimam  
cum turpissimo corporis motu: ut quo me-  
lius ornatus & magis fuerat expectatus, eo  
magis derisus, contemptus atque abiectus  
fuerit.

Sed vtrum illi recte an securus de te iudi-  
cent, operæ premium est ex te ipsa cognos-  
cere. Nam initiū optimi libri tui est huius-  
modi: *Conditi à Deo sumus, & collocati in hoc*  
*mundo, tanquam in amplissimo quodam amphitheatro,*  
*primū ut spectatores, deinde ut actores,*  
*atque etiam ut iudices quodammodo sumus. Nimi-*  
*rum*

rum hoc illud est quod vulgo dici solet,  
 ἀρχῆς κακῶς τέλος κακόν. Quām turpe gubernatori, præsertim de arte glorianti, soleat esse, si in ipso portu impingat: nequaquam te, Balduine, latere arbittor. Cur indecoris, inquit ille, in limine primo, deficimus? At hīc quām turpia in ipso limine ac vestibulo tuo peccata reprehēdantur, vide: primū quōd actores in amphitheatro colloces, cùm amphitheatra gladiatorib. potius, aut venationibus, quam ludis scenicis pararentur: neque actores in ipso theatro, sed in scena ac pulpito suas agere partes solerēt. Præterea, quōd spectatores diuersos à iudicibus cōstituas: imò verò eōsdem iudices appellas, quos prius actores nominasti. Mihi crede, mi Balduine, cùm in portu tam turpiter nauē impegeris: vix quemquam in ista longa quam instituisti vniuersitæ historiæ nauigatione vectorē reperies, qui se tibi in altum nauiganti concredere audeat. Eiusdem modi procēmum fuit alterius cuiusdam libri tui quem tu de lege Voconia & Papia inscripsisti: vbi ita scribis. Quo magis considero Iurisprudentiæ conditionem, tanto magis sentio historicam, quām aut Dialecticam

cam au Rheticam διαρρεσιν siue αὐάλυσιν esse  
 necessariam. Quis enim vnquam fando au-  
 dierat,historicam διαρρεσιν aut αὐάλυσιν,ante  
 illum tuum librum editum nominari? quis  
 easdem methodos vnquam antea Rheto-  
 ricas appellari audierat? Verūm hoc in te  
 Dei summi iustum iudicium fuit: qui cùm  
 eruditī hominis de optimo iuris interpre-  
 tandi genere disputationē , in qua metho-  
 dos illas explicarat, & quam eruditissimi  
 quique Iurisconsulti summa consensione  
 comprobarant, quod acerbitalis inuidiae-  
 que tua virus fuit, ferre non posse: eam  
 solus vituperare, quām cum aliis eruditis  
 viris laudare maluisti. Neque enim cuiquā  
 ignotum est, quorsum illa tua ex abrupto  
 inchoata præfatio pertineat: neque verò is  
 quem antea significauit, non & de illo & de  
 aliis præterea nonnullis librorum tuorum  
 locis quibus tu eum lacestis, certior factus  
 est: qui si vnquā diuturna patientia fractus  
 suos in te aculeos contorterit, nāc tibi istam  
 verborum iactationē excutiet: quamquam  
 vt ipse quodam loco scribit, nunquā istius-  
 modi simioli, qualem te esse agnoscimus,  
 ita illi stomachum mouebunt, vt eos re-  
 sponsi

sponsione vlla dignetur. Sed iam ad præclaræ illæ tuae prolegomenæ redeamus. An cùm de vniuersæ historiæ institutione tantum volumen editurus essem, nunquam tibi in mentem venit, breuiter & dilucide quid esset historia definire? Deinde eius vel partes vel species certa quadam diuisione explicare? Nam de definitione quidem nullum in ista tua farragine, vel tenuissimum vestigium extat. In extremo autem de diuisione sic scribis: *Quid igitur nunc dicimus?* *Soleo dicere historiam primum esse sacrâ & breuem:* *deinde sacram ciuilem & diffusam:* *postremò barbaram & horridam videri.* Hanc enim diuisionem tripartitam mihi prescribo: deinde singulis partibus subdivisionem tripartitam subijcio: ut iam nouæ partes sint, iterumque singulas in tres subseco, & 27. efficio. Hæc quælo, Balduine, vtrum irridendi lectoris causa, qui libri tui indice commotus eum emerit: an verò risus potius omnium in te excitandi gratia scripsisti? Nam si hanc potius diuisionem quam ægri veteris somnium, aut ænigma quoddam Bœoticum esse putas, næ tu perspicue in ista hominis figura elephanti te corio teatum esse demonstras.

Iam

Iam verò de ordine istius postremi libri  
tui quid dicam? in quo siqua certa ratio,  
siqua rerum series obseruata cest imò nisi  
eadem rerum omnium confusio ac per-  
turbatio retēta est, qua tu aliis in omnibus  
scriptis tuis vti soles, nisi, inquam, farrago,  
vel potius colluuies quædam sit locorum  
passim ex variis scriptoribus, nullo iudicio  
desumptorū: volo mihi Mineruam ipsam  
quæ sapientiæ ( vnde ordo nascitur ) dea  
nominatur, inquam infestamque esse. De  
quo tamen, si mihi credendum non putas,  
arbitrum tibi honorarium dabo, vel ipsum  
Georgium Cassandrū doctissimum virum,  
& in Dialecticis exercitatissimū: quoniam  
iam te ( vt audio ) in ipsius amicitiam insi-  
nuasti. Eum, inquam, doctissimum virum  
tibi iudicem fero, quem, vt opinor, tanquā  
tibi ob nimiam erga me suam beneuolen-  
tiā suspectum, nequaquam reiicies. At  
enim Cassandrum dices de te hoc pro te-  
stimonio dicturum, te historicos veteres  
quamplurimos legisse, non modò sacros  
& ecclesiasticos, verum etiam profanos:  
præterea scriptores Theologos percurris-  
se: Irænum, Augustinum, Ambrosium,

C Hier

Hieronymum, Tertulianum & reliquos.  
 Esto: quid tum posteà? continuóne tibi ad  
 vniuersam historiam conscribendam ido-  
 neus videtur is qui multa multorū scripto-  
 rum volumina perlegit? Vetus est, Baldui-  
 ne, & verum illud, cùm de alio quo quis scri-  
 bendi genere, tum præcipuè de historia:  
**S C R I B E N D I** rectè sapere est, & princi-  
 piū, & fons. Itaque Polybius scriptor,  
 meo iudicio sapientissimus, testatur maxi-  
 mam & difficillimā partem historici ope-  
 ris esse, rectè & sapienter de aliis iudicare.  
 Fuit superioribus annis in Germania, &  
 pòst aliquandiu in Gallia, Nigonius qui-  
 dam, homo nihilominus quàm tu celebris:  
 cæteróqui memoria planè prodigiosa:nul-  
 lum apud Bibliopolas sinebat esse librum;  
 quin cōtinuò euolueret. Idcirkóne tamen  
 aptus ad historiam conscribendam vide-  
 batur? Nihil profectò minus. Quid ita?  
 Quia iudiciū in eo; item vt in te, Balduine  
 (apertè ac liberè tecum agam) desideraba-  
 tur? Itaque cùm in auditorium suum pro-  
 diisset, & suggestum ascendisset, risum om-  
 nibus cōmouebat:cùm tamen idem tidem  
 Bartolum, Aristotelem, Galenum, Plato-  
 nem

nem, Petrum de Bella pertica, Augustinū, Ciceronē, Panormitanū, Plinium, Cælium Rhodiginum, & alios innumeros plenis buccis detonaret: idque tanta confidentia, ut sæpenumero paginas ex illorum scriptis integras memoriter pronuntiaret. Ex eodē genere fuit alter quidam Iurisconsultus celeberrimus, qui & ipse superioribus annis in Germania docuit: nullus est in Bartolo, Baldo, Alexādro, Panormitano, Iafone, & aliis vestris doctoribus locus tam abstrusus, tam recōditus, quem ille non in promptu habuerit. Legit etiam diligētissimè Augu-  
stini, Ambrosij, & aliorum Theologorum commentaria. Quid? continuōne tamen aptus ad conscribendam historiam vide-  
batur? nihil omagis quam tu, mi Balduine, qui quemadmodum ille de uxore sua ( si bene memini) Margarita: sic ipse de te,  
tuīsque factis etiam domesticis perpetuō  
tuis in scriptis mētionem facis: quod quām  
ineptum ac ridiculū sit, nemo vel medio-  
cri prudentia prædictus ignorat: licetque id  
tibi, vel ex Fabij Quintiliani præceptis cō-  
discere. Itaque Iurisconsultus ille πολυίσωρ,  
ea præstantia iudicij erat, ut cùm Tübingæ

ius ciuile doceret , & montem quemdam  
 oppido propinquum, auroræ, qua ex parte  
 Bibliothecam habebat , oppositum ani-  
 maduertisset , Principem repente adicerit,  
 & vel eum montem statim excindi, vel sibi  
 missionem dari postularit: Basileam autem  
 cum ex Gallia profugus, mulo suo iasidēs,  
 ingressus esset, totamque urbem diu ober-  
 rans, Germanicæ linguæ imperitus, Cico-  
 niæ cauponam reperire non posset, vnum-  
 quemque obuium hac voce compellaret,  
*La cicongne*, ciconia, πέλαργος: quæ de causa  
 cum à puella quadam , quid ille cuperet  
 suspicante, ad Sylvestris cauponam perdu-  
 ctus esset, confirmabat se puellam quæ La-  
 tinè aut Grecè intelligerer, in publico re-  
 perisse. Simillima profectò tua, Balduine, in  
 historiis cōficiendis ratio futura est. Eadem  
 enim te ingenij iudiciique præstantia præ-  
 ditum esse video, qua illi πολυίσορεs fuerunt.  
 Quòd si tibi aliquam à me hac in re fieri  
 iniuriam, existimas, volo tibi huius meæ  
 sententiæ clarissimum documentum ac te  
 stimonium proponere. Nam per Musas te  
 omnes quibus tamen infestus videris, ro-  
 go ac percontor, ecquænam tandem illa  
 tanta

tanta vel stultitia , vel bestialitas tua fuit,  
 cùm in præfatione tui de legibus x i i. ta-  
 bul. libri, pag. 30. scripsisti: legatos populi  
 R. qui in Græciam ad leges petendas  
 proficiscebantur , recte facturos fuisse , si  
 ab Italia in Græciam traiicientes iter per  
 Massiliam (quæ in Gallia prouincia est) fe-  
 cissent. Eam enim ciuitatem optimarum  
 tunc legum laude & gloria floruisse : velle,  
 inquis, etiam togati obiter Massiliam nauigassent.  
*Habebat ea senatum & leges &c.* Quid ? vl-  
 line vnquam post homines natos quan-  
 tumuis stulto, stolido, stupido mortali, tam  
 absurde loqui in mentem venit , vt quæ  
 ciuitas procul a tergo posita , atq; amplius  
 ducentis milliaribus remota esset , eam ta-  
 men in via positā , atque obiter visendam  
 diceret? An non hoc vnum, Balduine , stu-  
 poris ac recordiæ tuæ satis magnum argu-  
 mentū est ? Tu mihi nescio quam ab orbe  
 condito historiam tot iam annos pollici-  
 taris , & vsque eo regionē ac geographiam  
 imperitus es , vt Massiliā in mari Ionio po-  
 sitam existimes ? O Philippe Melanchthon?  
 vbi tua mens , vbi tuum consiliū fuit ? cum  
 viuo Balduino tanto historicō, geographō,

& polyhistore, perpetuæ historiæ descriptione suscepisti. Me certe amentiæ istius tue, Balduine, vehementer pudet: tuorum verò non seruulorum, sed magistellorum, Ioānis Veteris, Michaelis Fabritij, ac similiorū eiusmodi sanè miseret: qui cum operam, nomen, pudorem denique tibi suum ad istos tuos libellos diuulgandos addixerint, vbi tua ista tam auilia deliramenta parafacta audierint, præstigias tuas detestabuntur: amētiam verò suam deplorabunt: qui cùm opinione quadam Historicæ doctrinæ tuæ adducti, & iactationum tuarum fumis effacinati, tantum tibi in se potestatis atque imperij tribuerint, nunc te Asini illius Cumani simillimum esse agnoscēt: de quo in fabulis narratur, quod cum abrupto loro in siluam profugisset, ibiq; repertum forte leonis exuuiū induisset, late per omnem illam viciniam, quæ leonē nunquam viderat, formidabili incessu, leonis ferocitatem imitans, aliquantum temporis vagabatur, ferasque omnes miserosque Cumanos territabat: vsque dum aduena quidam qui & leones & asinos sepe alios viderat, forte illac præteriens ex auriculis prominent

nentibus, aliisque indiciis asinum agnouit. quem cum arrepto fuste male multatum ad dominum reduxisset, Cumanis stultiam suam agnoscentibus pudorem simul ac risum commouit. Licet etiam ex tuo De historia mundi libro, historicæ sapientiæ tuæ aliud argumentum proponere. Deus (inquis, pagina 203) condidit mundum quatriduo: & res inanimatas (nempe infrà lunâ) discerno abs superioribus. Sed cùm hæc crearentur, illas quoque compositas esse audio. Item 207. Memphis autem quo Deus mundum condidit nostro Martio respondet. Olim Romani urbis suæ natalem Parilibus celebrabant A.D. X I.C A L. M A II. nos mundi natalem nunc multo magis obseruemus. Item pag. 209. De hominis creatione videamus. Constat is corpore & animo: corpus ex humo Deus affinxit: deinde animum illi inspirauit. Evidem h̄ic non minus obstupesco, quām cùm intueor mundum: sed aliquid tamen delibādum est. Corporis fabricam multi scitè descripserunt: mitto eos qui imaginati sunt quamdam similem faciem in luna. De hominis animo quid dicam? Hæc Balduine, cùm in optimo libro tuo leguntur, nemo est quin exclamat, Euge, euge Lysiteles: iam pal-  
mam feres. Hæc enim vniuersæ historiæ

tuæ specimē est: hi sunt flores quos ex tam  
 multis historicis & scriptoribus antiquis  
 decerpsti. Hæc est celsitudo speculæ in  
 quā ascendere te cupere scribis, ut vniuer-  
 sum inde mundum & omnium ætatum  
 mortales despicias. At quid dico speculā?  
**Tu** verò nos longè in altiorem, nec minus  
 calidum locum ineunte scilicet hyeme re-  
 uocasti? Sic enim pagina 18. scribis: *Quid si  
 iam dicerem historiam collocare homines in globo  
 solis?* Papæ, non equidem posthac miran-  
 dum erit, si lunaticus nobis appareas: qui  
 cùm in solis globum historiæ mundi con-  
 ficiendæ causa concendere velles, à luna,  
 (per cuius globum, sicuti Legati Romani  
 per Massiliam, præteribas) tanquam alter  
 Endymio, pro amasio retentus sis. Itaque  
 lunatico afflatu magnus deæ Sacerdos in-  
 citatus, de sublimi & excenso loco hæc no-  
 bis oracula paucis pōst versibus fudisti.  
**DICO DIVAM** Historiam templo etiā quo-  
 dam esse dignā: *Et* vera rerū siue pictura, siue scri-  
 ptura esse colendam. Præclaram verò & dignā  
 Ecebolij discipulo sententiā: qui quæ tem-  
 pla Christiani passim in Gallia audiendo  
 verbo Dei postulant, ea diuæ suæ historiæ  
     ædific

ædificanda censet: nimirum ut ipsi quoque  
 statuā proximè diuæ Historiæ simulacrū,  
 non tantūm extrinsecus deauratam, sed  
 (vti Græcia olim Gorgiæ Leōtino statuit)  
 solidam ex auro collocemus: ad eāmque  
 thura & odores incendamus. Quæ, malū,  
 ista tanta Balduine, barbaries tua est? tan-  
 tumne Cyclops ille, synapostata tuus Du-  
 rantius, siue Villegaignoïus, feritatis, tan-  
 tumne immanitatis ex illa sua Antarctica  
 Barbarie reportauit, quantum in ipsis tuo-  
 rum verborum portentis deprehendimus?  
 templa nos diuæ Historiæ constituemus?  
 Hæc nimirum illa sacrosancta Theologia  
 est, qua tu nuper Principem quendam  
 initiare conatus es, religionem non ex sa-  
 cris Prophetarum & Apostolorum literis,  
 sed potius ex antiquitatibus Ecclesiasticis,  
 in quibus multas nobis relictas ceremonias  
 legimus, constituendam esse: non à con-  
 cionatoribus quibusdam ecclesiæ Parisié-  
 sis, quòd nimium iuuenes sint, vñus etiam  
 ex illis auditor in iure tuus aliquando fue-  
 rit, sed à magnis quibusdam vitis apostatis,  
 quos Colonia & Maguntia deducturus es-  
 ses, reformatæ Ecclesiæ rationem expe-

tendam esse. Hinc illa in isto tuo libro nota sunt, pagina 109. Affirmare verò, quod bonis nuper principibus respondi, rursus non dubitabo, si quis in illa memoria, ut oportet, versetur, optimam ex ea repeti posse definitionem earum de religione controuersiarum, quæ orbem nostrum concutiunt: tantóque propterea magis doleo, tales quæstiones, quæ tantum nunc dant turbarum, ad illud placidum antiquitatis tribunal non reuocari, sed ab imperitis tanquam pueris confuse misceri. Deus tui, tuorumque liberum misereatur, Balduine, miserrime: qui supplices piorum Gallorum postulationes de constituenda religione vocare audeas, *QUESTIONES* quæ tantum nunc dant turbarum: qui adolescentes doctissimos, modestissimos, tam multa, tot iam annos pro Christo nomine perpessos: imperitos pueros appelles. Nos certè, quām verū in illud sit Apostoli, de apostatis & defectoribus clamatis, Horribile esse incidere in manus Dei viuentis: vel ex hoc uno tuo scripto perspicere possumus. Sed iam ad cætera pergamus. Veniendum enim est hoc tempore ad alteram optimi libri tui partem, in qua de Iurisprudentiæ cum historia coniunctione & quasi cognatione differis

differis. Mira enim tua in ista disputatione non dico contentio , sed profectò bilis , & aduersus eos quibus vereris ne tuum istud iudicium probeiur, iracundia est. Verùm in ista tamen vel contentione , vel iracundia tua, argumentum saltem aliquod afferre debuisti quo nobis paradoxū illud tuum probares. At in verbosa ista & tortuosa disputatione tua, nihil planè nisi merā bilem video. Quanquam , vt rem ipsam extra disputationem tuam consideremus : Duplíciter mihi disputari videtur posse de vniuersa historia cum iuris studio coniungenda , Vt iúmne necessariò , an verò utiliter tantùm coniungenda sit ? Nam quod ad populi Romani historiam attinet , cùm ius ciuile vestrum pop. Romani fuerit proprium , dubitari non potest , quin bonæ ipsius partis cognitio futuro Iurisconsulto planè necessaria sit. Itaque tuum erat , qui nobis historiam tantoperè commendas , eam partem primo loco tradere : & de iudiciis saltem ac magistratibus populi Romani aliquid conscribere. Verùm quomodo hoc usque adhuc præstiteris , & Gruchii , Manutij, Hotomani, Sigonij qui magistra

gistratus Romanos expoposuerunt , errores refutare potueris , otij te fortasse penuria impediuit.

Aliarum autem gentium historia, veluti *Ægyptiorum*, aut *Lacedemoniorum*, aut *Hispanorum* res gestæ, ecquidnam obsevero cum iure vestro ciuili commune habent? cur in iuris Romani studioso eam cognitionem desideras? Usque eōne angusta tibi videntur *Pandectarum* tuarum latifundia, ut eorum finibus tui se ingenij amplitudo continere non possit? Usque eōne facilis tibi videtur *Iustinianearum rhapsodiarum* interpretatio, Antiquitatum præterea Romanarum cognitio, ut quæ ab orbe condito per vniuersas terrarum oras ab ullis vnquam gentibus facta sint, Iuris consulto cognoscenda esse affirmes? An non tibi tanto historiographo illud in mentem venit, quod summus historicus Xenophon in *Pædia Cyri* scribit, ἀδίννας τοι πολλὰ τεχνώμενος αὐθρωπος, παιάτα καλῶς ποιεῖ: aut verò illud in scholis vestris iactatum, Eum qui duos lepores uno tempore insequitur, utroque frequenter excidere? Verūm ecquidnam, quæso, ad Iuris Romani cognitionem

nem adferre adiumentu possunt, vel Herodoti, vel Thucididis, vel Pausaniae, vel Iosephi conscriptæ de Ægyptiorum, Græcorum, Iudeorum, Lacedæmoniorum, Pœnorumq; rebus historiæ? Videamus nuncanne hæc eadem quām profiteris, vniuersæ historiæ cognitio futuro Iurisconsulto vtilis sit. Nam si vtilitatem ad hominem ipsum referas, id est si vtilem appellas, quæ homini in qua insit, multas ad res vñui esse possit: id verò nemo, nisi planè mente captus, nagauerit: quippe cùm vel ipsa medicina, astrologia, & musica, pictura, imò etiam palestrica vñui multas ad res Iurisconsulto esse possit. Si autem vtilitatis rationē ad Iurisprudentiam Romanam referas, quasi vniuersæ historiæ cognitio faciliorē ad Iuris Romani intelligentiam adiutum patefaciat: vide, mi Balduine, ne hoc non tam facile hominibus eruditis, qui Iuris ciuilis & præsertim librorum Iustiniani difficultates non ignorant, quām pueris & imperitis persuadere possis. Quòd si qua extrinsecus disciplina ad Iustiniani libros intelligendos accersenda esse videatur, dicam quod tibi fortasse mirum videbitur,  
medic

medicinæ profectò mihi studium videtur ad totum, De edicto Ædilitio, tractatum intelligendum vtilius esse, quàm rerum ab Indis aut Ægyptiis gestarum cognitio. Sed quid nos inepti vel de historia, vel de medicina garrimus? Dialecticam, Dialecticam, inquam, Balduine, longè magis Iuris studiosis commendare debueras: si quidem quantum in ea præsidij atque argumenti situm esset, vnquam intellixisses. Tu verò cùm neque ullam vnquam iuris ciuilis partem vel mediocri artificio tractaris: cùm scripta tua nihil aliud sint, quàm vel ex Brechtani præceptotis tui, vel ex aliorum libris emendatæ, suppilatæ, suffarinatæq; rhapsodiæ: quemadmodum vir doctissimus Antonius Contius sæpe iam suis in libris testatus est: adeōne alienus à sanitate, adeò tenuitatis tuæ oblitus, adeò imperitiæ tuæ immemor fuisti, vt vniuersam te historiam scripto aliquo complexurum profitereris? eámque dices non solum utiliter, verum etiam necessariò cum Iuris prudentia coniungendam esse? Item pag. 106. alteram ab altera contineri, & suis libris tanquam finibus includi. Item 104. illam coniunctionem tam

tam esse necessariam , quām varias corporis indiuisi partes aut membra diuelli , neque possunt , neque debent : adeò ut statuere non potueris plūsne lucis historia ex Iurisprudentiæ libris , an Iurisprudentia ex historicis monumentis accipiat . Quæ quidem ita abs te scripta , mihi crede , si fortè in virorum prudentium oculos incurvant , verendum est , ne vel Arcadiæ pecuaria rudere dicant ; vel veteri Iurisconsultorum tuorum proverbio , te ex potestate exiisse , atque ad agnatos & gentiles deducendum esse confirmant .

Verūm hactenus meo me , Balduine , tui admonendi , siue maiis obiurgandi instituto satisfecisse arbitror , neque enim istius libri tui vitia , quæ infinita sunt , persequi , sed pauca quædam quasi exempli loco tibi indicare , mihi ab initio propositum fuit . Non enim mihi Herculis in expurgando Augiæ stabulo vires sumo : quod tu fortasse in vniuersa historia contexenda fecisse videri possis . Duabus tantùm de rebus breuiter te & amanter in hac Epistolæ meæ clausula admonendum puto : quarum utraque tibi profectò plurimum ad illud institutum tuum adiumenti allatura est .

Prior

Prior est, ut deinceps Latini tibi sermonis facultatē aliquā mediocrem saltem compares, ne semper illa abs te audire cogamur: Ac quidem alioqui abs Aristotele & abs Constantino audio olim praeclarè quidem aliquando dictum fuisse: nisi si alioqui meminisse me aliquando apud Platonem legisse quandoquidem alioqui nos abs diua *Historia in globum solis* (sicuti *Strepsiades* abs *scarabeo*) in nubes extollimur. Quæ etiam dum in tuis prælectiōnibus pronuntias, ita mentum, malas, totum denique os tuum distorques, ut vel nucem, ( quemadmodum olim de Sexto Penario dictum est) frangere velle: vel sanguino quidam qui scloppo tumidas intendat rumpere buccas, esse videaris. Qua de causa memini fuisse non nemine, qui cùm te fortè Heydelbergæ docentem audisset, Doctorem te nucifrangibulum appellari. Et profectò, & de stylo ac genere scribendi tuo illud vnum dicam, mirum mihi videri solet, quamobrem A b s, tibi præpositio, vel illa coniuncta N i s i s i adeò placeat, ut in iis libris quos aliquot ab hinc annos edidisti, neque A, neque A b, neque N i s i præcisè: sed vel A b s, vel, N i s i s i coni

coniunctè perpetuò legatur. Ut iam hic sit apud multos styli tui tanquam index: qui quoties mirificum istud A B S, tuis in libris legunt, risum continere vix possunt: præsertim cum oris tui vægrandem illum hiatus cogitant, quasi prætereuntibus musicis insidieris: aut pro manducca locare te Parisiensibus vellis. Alterum de quo te etiā atque etiam monendum puto, non minus ad laudem aliquam ex scriptionum labore comparandam pertinet: nimirum ut artem aliquam addiscas, quæ te certum in scribendo ordinem seruare, & posteriota prioribus quasi membra membris aptè ac dispositè componere doceat. Iubet enim Plato (ut in Phædro legere potuisti) orationes nostras instar animalium habere: ut neque sine capite sint, neque sine pedibus, sed & media habeant & extrema inter se congruentia, omnique ex parte consentientia: cuius contrarium vitium Horatius in illis notissimis versibus designat: Humano capiti, &c. Tu verò usque ad hoc tempus ita scriptitasti, ut tibi satis esse videretur, bullatis si tibi nugis Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo: quemadmodum

D modum

modum ille ait : & Typographis farragines  
vndique corrasas mittere. Quod si quia  
vel mihi non credis , vel vitia tua audire  
non vis , indigneris , insultes , scriptóve me  
aliquo virulento , quasi tuarum laudum in-  
uidum insecteris , & contra religionis Chri-  
stianæ præceptum pro bono malum repen-  
das : si denique quod initio ex Salomone  
posui , irrisorum & improborum consue-  
tudinem imitans , ad conuiciandum te &  
Bacchandum contuleris : quemadmodum  
in illo tuo contra Duarenus libello feci-  
sti: cùm ego te pro deplorato habebo , tūm  
quod veteres de desperatis ægrotis fecisse  
legimus , in publico te deponam: & omnē  
morbi tui rationem scripto aliquo non in-  
faceto (quod ab amico quodā tuo tibi iam-  
pridem paratum est ) obuio cuiuis expli-  
cabo : vt omnes intelligent , non amico-  
rum tibi studia , consilia , cohortationes:  
sed temetipsum tibimetipsi duntaxat de-  
fuisse.

Eiusd

E I V S D E M A P P E N D I X ,  
*qua nouis Baldūini Balaamitæ calum-  
 nijs respondetur.*



AE C tibi, Balduine, scripseram,  
 & iampridē mittere instituerā,  
 cùm mihi forte furiales quoſdā  
 libellos tuos videre contigit, in  
 quibus tanquam alter Balaam, maledicus  
 mercenarius, à Canonicis Parisiensibus  
 conductus, rabioſe in optimum quemque  
 Dei & ecclesiæ Christianæ ministrum de-  
 baccharis: ac præsertim in virū cum omni  
 liberali doctrina politissimum, tum etiam  
 vera pietate insignem, Theodorū Bezam:  
 qui ſi me audiet, neque te responsione vlla  
 dignabitur, & Diabolo te patri ac domino  
 tuo, cui totum te mancipasti, cruciandū ac  
 vexandum relinquet. Satis enim tuorum  
 te scelerum, ſatis apostatiæ tuæ, & impie-  
 fatis, & ſexies iam mutatæ religionis, ſatis  
 eius abiurationis quam nuper apud Loua-  
 nienses tuos publice ac ſolenniter fecisti  
 furiæ cruciant: ſatis te ludibriū ſacrosanctæ  
 Cœnæ ad quam toties detestandum iſtud  
 roſtrū tuum admouere ausus es, ylcifſcitur.

D 2 Neq

Neque dubium est, quin lepra ista spiritua-  
lis tua, non usque eò te stupidum reddide-  
rit, ut non sàpe in animo & conscientia tua  
sentias, quod superius tibi denunciaram.  
*Horribile est incidere in manus Dei viventis.* Nam  
ista quæ te agitat animi rabies, desperatiōis  
propinquæ prænuntia, manifestum diuinæ  
in te iræ testimonium est : cum tanquam  
alter Ajax furore amens, & spumas in ore  
agens, lapidibus obuios quosque, quamuis  
nihil de te cogitantes, insectaris. Quid,  
malùm, aut tibi, aut lutuléritis istis tuis man-  
cipiis magistro Ioanni Veteri, aut Michaeli  
Fabritio, cum eo Iurisconsulto negotij fuit,  
qui vestrum antehac nomen nunquā au-  
dierat ? quem tamen nihil quicquam de  
vobis cogitantem sed vocationi suæ placi-  
dé & quieté inseruientem tot iam contu-  
meliis & furialibus libellis infectati estis?  
Eius ego honestissimū nomen neque ster-  
coreis istis nugis vestris tractandis cōtami-  
nabo : neque pluribus verbis contra tam  
ieiunas ac frigidas calumnias defendendū  
fuscipiam. Vestro vos Diabolo, patri ac do-  
mino Baalamitarum, vexandos & laniādos  
relinquam. Verbum tantum illud Iuriscon-  
sulti

sulti illius amici mei nomine adscribam,  
quod tamen non tam ad vestram refellen-  
dam impudentiam , quām ad eluendam  
quorundam suspicionem attinebit. Qui-  
cunque vel antehac dixit , scripsitue , vel  
posthac dicere scriberéue audebit , libellū  
Gallicum cui titulus est, Epistola ad Tigrin  
Franciæ, ab illo iurisconsulto vel scriptum,  
vel editū , vel typographo datū missūm  
ue, vel quauis alia ratione promulgatum: eum  
impudentissime , nequissimē , sceleratissi-  
mēque mentitum , mentiturūm  
ue esse. Neque enim atrox illud facinus propter  
quod in tam multorum suspicionem ad-  
ductus est , illi vnquam in mentem venit.  
Quod si quis ex istis delatoribus iudicio  
volet cum ipso contendere denuntio pa-  
ratum illum semper ad causam ea de re,  
apud quemuis integrum atque idoneum  
iudicem, capit is sui periculo dicendā, fore.  
Iam verò, quòd tu maledicere Balaam, Pa-  
risiensiū Canonicorū offa & mercede con-  
ducte , nuper sub nomine Fabritij nescio  
cuius fabricatus nouā calumniam es, quasi  
amicus idem ille meus & Athæūs esset, &  
propter flagitium ab ecclesia excomuni-

catus, à priore schola sua exauctioratus fuisset. An non furialem tuam in tanta impudentia rabiem ac suspendiosam desperationem tibi propinquam atque impeditem ostendis? Vbi tandem (ut ad illud primū veniam) ullum in eo à θεότητος argumētum deprehendisti? Cedo mihi factum ipsius ullum, quod eius sceleris indicio esse possit. Atque ut tecum ô Dialectice noster certa quadam ratione disputem: consentaneāne tibi hæc videntur: nullū esse Deū putare: & Ecclesiæ fruendæ causa septeñdecim prope annos procul à patria tenuiter vitam labore suo tolerare. Nullum esse Deum putare: & , tot annos malle in summa tenuitate cum Euāgelicis viuere, quam opibus atque honoribus in patria florentē cum idololatris vitā agere? Cōsentaneāne inquā, tibi hæc vocari a Dialecticis videntur, an verò repugnantia? At tu tantopere Diua Historia tua delectaris, à qua te in globum solis sublimē ferri prædicas, ut de Dialecticis ne per somnium quidē vnquam cogitaris. Audio: sed tamen antequam Historiā conscribas, condiscas censeo, neque Massiliam in itinere Græciæ Romanorum legat

legatis fuisse positam, neque (vt alia omittam) caluniatoribus apud Romanos Rotæ supplicium cōstitutum fuisse. De quo ipso sane quo magis cogito, eo mihi mirabilius videtur, te tantopere vetere illa tua calumniandi cōsuetudine delectari. Quid? An non Rotæ illius supplicium & crurium (quemadmodum scripsisti) atque ossium tuorum confractiōnēm cohorrūsti, cùm integerrimæ famæ hominem & Atheum & ab ecclesia propter flagitia eiectum, & ex schola pulsū fuisse calumniatus es? Quæro enim ex te, si pulsus aut excommunicatus est, solusne tu id, an etiam sexcenti alij resciuerunt? Lucene illud, an in tenebris factum est? in sylua ac solitudine, an in ciuitate celeberrima? Ne vide quid impudentiæ isti tuæ respondeam. Cedo mihi tu hominem vnum in orbe terrarum, existimationis integræ, qui hoc confirmet: volo tibi verum id fuisse, & illum quem ita rabiose insectaris capitis supplicio dignum esse confiteri. Mihi crede, Balduine, prius quam istud probes, longe facilius nobis erit te, impietatis, & incestus, & excommunicationis conuincere. Sed

quid mirum est, desperabundum hominem, in spiritum sanctum contumeliosum, cœlum ac solem detestantem, Deo atque hominibus infestum, furiales istas voces in optimos quosque viros edere? Eiectum te, Balduine, & excommunicatum ab omnibus piis, quicunque in Gallia aut Germania tuum nomen vñquam audierunt, negare non potes. Septies his viginti annis religionem mutasti. Non sæpius fere serpentes pellem mutant. Educatus es apud tuos in Flandria Papisticè. Postea Geneuæ Christianam religionem professus es: eoq; nomine aliquoties ad corporis Christi cōmunionem accessisti: inde Lutetiam profectus, Papisticum habitum recepisti. Mox Geneuam reuersus, & in Caluini contubernio, mensa, familiaritate, menses multos commoratus, iterum Euangelici nominis factus es. Postea, Biturigibus ad Papisticam idolatriam, & tanquam canis ad vomitum rediisti. Inde Argentoratum profectus, Euangelicum te professus es: cum Petro Martyre vixisti, Cœnam Dominicam, in Gallorum ecclesia, amplius decies participasti. Mox Heydelbergum delatus

delatus confessioni Gallicarum ecclesiarum , sub qua paulo ante Cœnam Dominicam duodecies sumpseras , hostis factus es , & Heshussianis te partibus dedidisti . Tādem in Galliam reuersus , quartū Papista factus es. Horum si quid falsum , aut fictum est , oculos mihi volo eruas : aut , vt calumniatorium supplicium tuum imitemur , crura mihi suffringas. Cōsidera nunc noster quartū Papista , vter potius Atheus , & excōmunicatus habendus sit: is qui post agnitam semel Euangelij veritatem constanter in ea septemdecim annos permanxit: an tu qui septemdecim illis annis , religionem pro locorum & migrationū tua- rū varietate septies mutasti ( nisi forte cùm nullam haberet , mutari illam non potuisse disputes ) Is qui sponte , vt ecclesiarū bono frueretur patriam reliquit: an tu qui nunquam nisi à carnifice coactus & vexatus profugisti. Is qui diuturnum exilium atque inopiam perpeti , quàm cum idololatris viuere , maluit: an tu qui in media Gallia tandiu tuæ auaritiæ & cupiditati seruiens , in turpissima idololatria , tanquam lutulentus sus , volutatus es. Is qui honores sum-

mos , senatoriam dignitatem sibi à patria  
millies oblatā , & fortunas mediocres præ  
verbo Dei contempsit , ac pro nihilo pu-  
tauit : an tu , qui , vt pueri nobilis pædago-  
giam adipiscereris , pudorē ac religionem  
omnem abiecisti : diciq; Apostata , & Ece-  
bolius , & Balaamita , quām Hugonottus  
maluisti . Is qui bonis & doctis omnibus  
charus atque accepus es t , testimoniumq;  
suæ pietatis ab ecclesia sua optimum acce-  
pit , optimeq; ( vt moris es t ) scriptum atque  
obsignatum : an tu quem ecclesiæ omnes ,  
quæ in orbe terrarum habitant : detestan-  
tur : quem earum ministri , ac populares ,  
quem denique boni ac pij omnes execrā-  
tur , pro impio ac reprobo numerant , de-  
sperationi proximū putat , & iam laqueum  
sibi parare , alteriusq; iurisconsulti Francisi  
Spiræ exitum habiturum existimāt . Quid  
tu ad hæc quartūm Papista Eceboli ? An  
cùm istum libellū tuum nuper sub Fabritij  
tui nomine fabricabas , repente nos mutos  
atque elingues fore arbitrabaris ? Tua tibi ,  
mihi crede , citius mercenaria vox deficiet ,  
cùm isto , quem exorsus es , laqueo fauces  
tuas sacrilegas comprimes , quibus sacro-  
sanctam

sanctam Iesu Christi Cœnam toties in ecclesijs nostris degulaſti. Quid? vsque cōne Deum stupidū existimasti, vt vel blasphemias & contumelias istas non attenderet, vel sacrilegia illa tua, & sacroſanctæ Cœnæ ſuæ ludibrium, & filij ſui redintegratū abſte ( vt Apostolus loquitur) cruciatū aspernaretur? toties abiecta & contempta religionis ſuæ poenas, non repeteret? Credistiſue vos, Athei Cyclopes, qui Dei ſummi fulgura ſecure contemnitis, non hanc ipſam impietatem vestrā & efferuēſcentem in eccleſias noſtras rabiem, certiſſimū eſſe Dei in vos tacite fulgurantis ſuppli- cium? Fieri (inquit Apostolus) non potest, vt qui in ſpiritum ſanctum peccarit, misericordiam conſequatur. Item, Voluntariè peccantibus poſt ac- ceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis ſacrificium: ſed formidabilis expeſatio iudicij, & ardor flammæ que aduersarios conſu- met. Si quis Mosis legem ſpreuiffet, immiſericor- diter necabatur. Quanto grauioribus ſupplicijs cru- ciabitur is, qui Dei filium conculcarit, & foederis ſanguinem per quem ſanctificatus fuerat, profani loco habuerit, atque in ſpiritum gratiae contumelio- fuis fuerit. Horrendum eſt incidere in manus Dei

*viventis.* Non vos horribile istud tonitru  
estrásque mentes commouet? Sed, vt op-  
nor, surdis carmen canimus: & satis superq;  
in homines præsertim deploratos , dicta  
sunt. Neque vero dignus iste canis Ecebo-  
licus fuit , cuius ob latratum hoc quicquid  
est temporis consumerem. Finem igitur fa-  
ciam, deumq; , & in filio suo Iesu Christo  
Optimum, & in misericordiarum infinita-  
te Maximum, toto pectore obtestabor , vt  
nostræ Galliæ ab ipsis Atheis & Epicureis  
caueat: & sibi ecclesiam in patria nostra  
perpetuò colligat , nōsque misericordiæ  
suæ vasa faciat : vt constanter ad extremum  
vsque spiritum in ipsius sanctissima fide ac  
religione perseuerantes , exitia Eceboliis,  
Apostatis & Balaamitis parata vitemus.

*Discite iustitiam moniti , & non  
temnere Christum.*

NICOLAI RENATI  
IN FRANC. BALD.

Apostatam Ecebolium  
versus.

*Quo teneam vultus vertentem Prothea nodo?*

*Quo capiam numero, quo pede Balduinum.*

*Quem non religio, quem non lex ipsa coerces*

*Ipsa quibus poterit Musa tenere modis.*

*Saul inter vates, anser strepit inter olores,*

*Atque inter doctos perditus ille viros.*

*Nomine ego te vidi Damonis pessime, caprum*

*Excipere insidijs? quô tua nunc probitas?*

*Vt tu compungis sacrorum oracula vatum,*

*Sic te compungat, pessimus ille Satan.*

*Sic te agitent furie, tot rumpant corda colubri*

*Inuiciatque suis, torua Megara, faces.*

*Et quæ tanta fuit Romam tibi caussa videndi?*

*Anne ea libertas quæ tibi semper iners?*

*Et te libertas perdet tua, pessime doctor*

*Quem sacra doctrina, laurea, dedecorat.*

In Eundem

*Ipsum Mercurius Franciscum eduxerat orco:*

*Eurydicenque suam hic carmine rettulerat.*

*Verum pænituit, stygiam & remeare paludem*

*Hic voluit, sed non rettulit Eurydicen.*

*Est Deus in nobis.*



08.6.1.3908



